

Et Ecclesiam ingrederis, & ante divina mysteria exis? Metue eum, qui dixit: Despiciens rem, despicietur ab ea. Ac Regi quidem astans, ne subridere quidem omnino audes. Cum verò Domino rerum omnium astas, non cum timore & tremore stas, sed rides sæpe ipso irascente, non cogitas, quod isto modo magis, quam peccatis, irritas eum? Non enim tam eos, qui peccant, quam qui post peccatum non fiunt moderatiores, averfari Deus solet. Quid facis, ô homo? In Ecclesia stans mulierum ornatum curiose indagas: non horrescis sic injuriam DEI TEMPLI inferens? Lupanar tibi videtur esse Ecclesia, & foro ignobilior? In foro enim metuis, & pudet te videri mulierem curiose aspicere. In templo verò Dei, cum ipse tecum differit, & minatur, ne ista facias, talia audes eo ipso tempore, quo audis, ne illa facias, nec horrescis, neque stupescis, quod cor officinam iniquitatis reddis, & oculos. Præstat tales esse cæcos, quam ad illa uti oculis. Cogita, prope quem astes in templo, & in tremenda sacrorum administratione, ô homo, quibus cum invocaturus sis Deum, cum Cherubim, cum Seraphim, aliisque cœlestibus potestatibus. Considera, qui tecum concinant. Sufficit tibi ad modestiam, si cogitaveris, quod corpore circumfus, & carne implicitus, cum incorporeis potestatibus dignatus sis communem universorum Dominum celebrare. Ne igitur dissoluto animo sacra & laudes illas arcanas participa. Nec temporales per illud tempus habe cogitationes, sed omnia terrena ex animo ejice, teque totum ad cœlum convertens, tanquam ad ipsius prope astans solium gloriæ, & cum Seraphim volans, sic Deo sacrosanctum hymnum exhibe. Iccirco enim stare honestè divinæ administrationis tempore jubemur, ut ad terram trahentes cogitationes corrigamus, ut contractum à nobis

*Reprehen-
sio incon-
stantie ocu-
lorum in Ec-
clesia.*

*Dei presen-
tia in Eccle-
sia.*

*Angeli con-
centores in
Ecclesia.*